

Francisci Barocii
oratio ad
philosophiam
virtutemque ipsam
adhortatoria...

Barozzi, Francesco

137 A Br.



National Library
of Sweden

BAROZZI

Litt. Nylat

(Dr.)

6

FRANCISCI BAROCII

ORATIO

AD PHILOSOPHIAM VIR-

TVTEMQVE IPSAM ADHOR-

TATORIA

HABITA PATAVII IN

ACADEMIA POTENTIVM

Die 25. Nouembris

1557.



PATAVII,

Gratiosus Perchacinus excudebat.

1558.

1906.

FRANCISCI BAROCII

ORATIO

AD PHILOSOPHIAM VIR-

TUTEMQUE IPRAM ADHOC

V. T. O. R. I. A.

HABITA PATAVII IN

ACADEMIA POTENTISSIMA

Die 24. Novembris

1688.



PATAVII

Gratulus Porchacius exudebat.

1 2 3

FRANCISCVS BAROCIVS²

PATRITIVS VENETVS,

MARCO ANTONIO

DE IANVA

GRAVISSIMO PHILOSOPHO,

PRÆCEPTORIQVE

S V O

S. D.



VVM verissime dictum sit, Excellentissime Præceptor, quòd omnes homines, qui student sese præstare ceteris animantibus, summa ope niti de-
cet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit: præceptum hoc diligentissime obseruandum esse, mihi persuasi. Quapropter cum lucubrationes quasdam, quas summi rerum omnium opificis auxilio, in hac mea iuuenili ætate compleui, studiosis

A ñ


omnibus largiri decreuissem : à minoribus potius incipiendum, ad maioraque semper progrediendum esse duxi. Quo circa paruam hanc lucubratiunculam primùm suscepti negotij principium esse volui. Verum enimvero quoniam non desunt, qui in vituperandis operibus alienis se extollere existimant : Id propterea exiguum hoc munus nomini tuo dicere, eoque munire decreui : vt sub tui grauissimi nominis authoritate, tanquam sub fortissimo Aiacis clypeo, tutissimum iam nunc in lucem prodeat. Quamobrem vt paruum hoc munus (animum erga te nostrum potius quam munus ipsum æstimans) humanitate tua recipias, foueas, tueareque rogo ; quod si tibi gratum fuerit,

Philosophorum pater, maiora à me eris posthac accepturus.

Vale.

FRANCISCI BAROCII

PARAENESIS.



EROPTIME mihi dixisse videtur Aristoteles excellentissime Doctor, Iuuenesque eruditissimi: quod omnes homines natura scire desiderant. Cum enim vna-

queque res naturaliter appetat sui perfectionem, non secus ac materia dicitur apperere formam, sicuti imperfectum appetit perfectum, foeminaque appetit marem, vt ait Philosophus primo physicorum, Intellectus autem à quo homo est, id quod est in se consideratus, sit in potentia omnia, nec in actum eorum reducatur nisi per scientiam, siquidem nihil est eorum, quæ sunt ante intelligere, vt habetur in tertio de Anima, non immeritò naturaliter vnusquisque scientiam desiderat, sicut materia formam. Præterea, quoniam quælibet

ORATIO.

res ad suam propriam operationem naturaliter est inclinata, sicuti calidum ad calefaciendum, & graue, vt deorsum moueatur, propria autem hominis quatenus homo operatio, vt ait Philosophus primo de historia Animalium est intelligere (hoc enim à ceteris animalibus distinguitur) idcirco naturaliter desiderium hominis inclinatur ad intelligendum, atque propterea ad sciendum. Amplius cum vniciue rei hoc natura comparatum sit desiderium, vt suo principio coniungatur (in hoc enim vnus cuiusque perfectio consistit, vnde & motus circularis perfectissimus est, vt probatur octauo p hysicorum, quia principio finem coniungit) substantijs autem separatis, quæ sunt humani intellectus principia, & ad quæ intellectus humanus se habet, vt imperfectum ad perfectum, non coniungitur homini nisi per intellectum intellectuamque scientiam (intellectus enim similitudinem quandam cum eis atque cognationem habere videtur, vnde in Mosaica Genesi quam rectissime canitur : Faciamus hominem ad imaginem atque similitudinem nostram) ideo Animam suam scientia exornare naturaliter ho-

ORATIO.

4

mo desiderat, vt ipsa veluti scalla quandam principio suo coniungatur. Nam Anima quidem nostra à sensibilibus ipsis excitata, in conditoris ceterorumque supercœlestium naturæ cognitionem nos ducit, atque rapit. Platonis nanque in Phædro sententia est, Animam nostram motionis esse fontem atque principium, ita vt seipsam moueat, à nulloque alio moueatur. Quapropter cum à summo rerum opifice omnia pendeant, ipseque omnium sit rerum origo, nulli dubium, quod per Animæ principiatum (qui intellectus ipse est) ad ipsius supremi notitiam facillimus nobis aderit aditus. Qua quidem de causa eam totius vniuersi esse vinculum, inter abstracta penitus, ac materiæ obruta medium tenens, materialem simul, atque immaterialem: diuiduam, atque indiuiduam Platonem in Timeo asserere audimus. Idem ex Aristotelis sententia Egregius Aueroes sensisse videtur, quum materialium postremam, separatarum aurem primam quasi vtriusque naturæ participem dixerit. Omnes homines igitur natura appetunt scire, tum quia perfectionem suam, propriamque operationem naturaliter appetunt, tum

ORATIO.

vero quia principio suo coniungi, ex eoquē felices euadere desiderant . In hoc enim vltima hominis consistit foelicitas . Hanc autem foelicitatem nullo alio medio nisi scientia ipsa consequi possumus . Scientia enim , vt ait *Alga-zeles* Philosophus quidem ex *Arabibus* prestantissimus Animę nobilitas est, foelicitatisq; causa . Cum enim scire sit, rem per causam cognoscere, vt asserit Philosophus primo *Posterorum* , qui scientiam appetit , rerum causas cognoscere , ex eoquē foelix euadere desiderat.

Quod sentiens *Poeta* cecinit . Foelix qui potuit rerum cognoscere causas . Scientia ergo humanę foelicitatis est causa . Sed quę nam hæc est scientia ? Ipsa nempe mater scientiarum philosophia . Quam quidem philosophiam *prisci Philosophi* variis modis definire . *Pythagoras* quidem, qui primus sciētię methodum dedit, philosophiam (*φιλιαν σοφίας*) hoc est sapientię amorem esse dixit, quemadmodum & nomen istud ostendit . Omnes enim ante *Pythagoram* confuso nomine sapientes appellabantur , *Faber* etiam ipse , & *Coriarius*, gubernatorquē , & simpliciter cuiuscunq; rei artifex, vel artificii peritus . At

Pythagoras

ORATIO.

5

Pythagoras cum omnibus propria sua nomina distribuisset, entisque scientiam ac perceptionem, & solum eius veritatis cognitionem (σοφίαν) idest sapientiam proprio nomine vocasset, non immeritò eius etiam appetitionem insecutionemque (φιλοσοφίαν) quasi sapientiae appetitum nuncupavit. Plato vero, modo cognitionem eorum quæ sunt, modo diurnarum, humanarumque rerum perceptionem, modo similitudinem, qua Deo homo similis quoad fieri potest, euadit, interdum vero meditationem mortis eam asseruit. Aristoteles autem Artium Artem, scientiarumque Scientiam eam definiuit. Quæ quidem definitiones: licet variæ sint, Philosophiam tamen exprimere, quid sit, definireque videntur. Nam prima quidem definitio Platonis ex parte subiecti videtur esse assumpta, cognitionem eorum quæ sunt Philosophiam esse designans. Cum enim reliquæ Artes, atque scientiæ in proprijs quibusdam subiectis versentur, vt Medicina in corpore humano, Arsque fabri lignorum in ipsis tantum lignis: Philosophia sola in omnibus his, quæ existunt versatur. Secunda vero ex parte subiecti, &

ORATIO.

ipsa videtur esse allata. Quæ quidem re ipsa nihil à prima discrepat: id tamen habet discriminis, vt notior, clariorque illa esse videatur. Plato enim res ipsas bifariam est partitus. in sempiternas, quas quidem Diuinas, atque in caducas ortui, interrituique obnoxias, quas humanas appellauit. Quarum omnium perceptionem Philosophiam esse dixit. Tertia autem, summitur ex parte finis, qua dicit Philosophiam similitudinem esse, qua Deo similis homo, quo ad fieri potest, euadit. Finis .n. Philosophi est, summum bonum, atque ipsam primam rerum omnium causam cognoscere: & contemplando quidem, atque operando similis ei, quo ad eius fieri potest, euadere. Similis inquam non natura, non perfectione, non cæteris diuinis conditionibus, sed similitudine operationum. Quemadmodum enim Deus omnium pater vniuersam hanc Mundi machinam actiua sua operatione regit, & temperat: contemplatiua autem se ipsum intelligit, & omnia quæ in ipso, veluti in lucidissimo speculo relucere dicuntur: ita Philosophus inferiora hæc gubernat, superiora autem contemplatur: Operationes tamen ac

cognitiones humanæ à diuinis mirum in modum differunt . Nam Deus quidem intelligendo se, simul intelligit omnia, cum omnia in ipso reluceant : Et sic quasi circulariter semper intelligit. Nos vero res quodammodo per rectam lineam prius cognoscimus : Deinde Anima nostra cum immaterialis sit, cognoscit se cognoscere, & intelligit se intelligere : & hoc modo se ad seipsam vertit, ac demum ad suūpsius suæque essentiaē cognitionem peruenit . Quin etiam operatio humana ab operatione diuina non parum discrepat . Dei .n. operatio, vt ait Philosophus decimo Ethicorum precellens beatitudine, contemplatiua sine controuersia est . Et humanarum operationum ea homo est summe foelix, quæ illi maxime est cognata : nam Dñs quidem inquit ipse Philosophus, tota est vita beata talem habentibus operationem. Hominibus autem, quo ad ipsos talis operationis quædam inest similitudo . Quamobrem ob maximam differentiam, qua differt nostra cognitio, nostraque operatio, ab illa perfectissima cognitione, operationeque Diuina, particula illa (quoad fieri potest) in definitione allata ad-

O R A T I O .

dita fuit . Est igitur Philosophia homini cum Deo similitudo : similitudo inquam huiusmodi, quantum homo assequi potest . Quartam Philosophiæ definitionem ab eodem ipso sine Plato sumpsisse videtur, cum inquit in phædone . Philosophia est meditatio mortis . Cum enim Philosophiæ finis sit , rerum ipsarum, ac denique primæ omnium causæ contemplatio, res autem ipsas Philosophus contemplari minime possit, ni prius mens eius reuocetur à sensibus, animusque maxime à corpore, non dissolutione compositi, sed per contemplationem separetur , nemini sanè dubium quòd Philosophia animi à corpore eo modo quo diximus, per contemplationem scilicet separatio erit . Secernere autem hoc modo à corpore animum nequicquam aliud est, quam emori viuendo . Et hæc quidem animi à corpore separatio mors voluntaria à Philosophis appellatur, ad differentiam mortis naturalis, qua corpus ab Anima dissolutione compositi separatur, cui omnes obnoxij sumus . Philosophum igitur viuendo mortem voluntariam meditari oportet : quod etiam sensisse videtur Cicero in quæstionibus Tu-

scularis, cum inquit. Tota Philosophorum
vita comentatio mortis est. Recte igitur Pla-
to Philosophiam mortis meditationem esse
dixit: Sed cauendum est, ne in eundem erro-
rem incidamus, in quem adolescens ille Cle-
ombrotus Ambratiota fuit elapsus: qui hac
definitione in Platonis phedone lecta, in quo
dialogo Plato pluribus persuadet rationibus
Animam à corpore separari oportere, hoc-
que philosophari esse ostendit, separationem
corporis ab Anima quæ fit dissolutione com-
positi Philosophiam esse putauit. Quapro-
pter hac opinione mortem sibi consciscendam
ratus, murum altissimum cum ascendisset se-
ipsum inde proiecit, præcipitioque peremit,
quam quidem huiusce infœlicissimi adole-
scentis mortem Poetæ cuiusdam epigramma
nobis sic attestatur.

» Εἰ παρ' ἡλίου χεῖρε κλειόμβροτος ἀμβρακιάτης
» ἦλατ' ἀφυψυλοῦ τείχους εἰς αἴθλου:
» ἀξίον οὐδὲν ἰδῶν θανάτου κακόν, ἀλλὰ πλάτωνος
» ἐν τῷ περὶ ψυχῆς γράμμα ἀναλεξάμενος

Hoc pacto igitur quatuor Philosophiæ defini-
tiones, duæ quidem ratione subiecti circa quod

O R A T I O

est, duæ vero respectu finis, gratia cuius est, ab ipso Platone traditæ fuere. Sunt autem quinque numero cum illa Pythagoræ, quæ ab ipsa nominis ethymologia excerpta fuisse videtur. Sexta vero atque vltima Philosophiæ definitio, quam Aristoteles Peripateticorum princeps attulit, ab excellentia huiusce scientiæ orta fuit. Philosophiam Artem artium, scientiarumquæ Scientiam esse declarans. Cæteræ enim Artes, atque Scientiæ principia vel subiecta, circa quæ versantur ab ipsa Philosophia suscipere videntur. Nam Medicina quidem corpus humanum considerat, quatenus egritudini, vel sanitati obnoxium est: nec non quatuor elementa, humores item quatuor, & nouem complexiones. Principia insuper huiusmodi assumit, vt contraria contrarijs curantur, vulnera quæ rotundæ, circularisquæ figuræ sunt, tardius difficiliusquæ sanantur. Et alia eiusdem generis, quæ omnia ab ipsa accipit Philosophia. Grammatica similiter, sonos accipit tempora, ipsiusquæ orationis mensuram. Nec non Architectonica, ac ne latius vager vnâquamque sigillatim enumerando, cæteræ omnes facultates principia, vel subiecta ab

ipsa (vt diximus) Philosophia sibi assumunt. Non immerito igitur eam Philosophus Artem artium, scientiarumque Scientiam esse dixit. Sex itaque hæ definitiones ab his grauissimis Philosophis allatę, satis, pulcherrimeque indicant quid ipsa Philosophia sit, quid sibi subiiciatur, quem denique finem respiciat. Ipsam nempe supremam, perfectissimamque hominis foelicitatem, qua nihil excellentius, nihil præstantius. Verum enimvero humanam foelicitatem, quę vitimus rerum humanarum est finis, duplicem esse atestatur Aristoteles decimo Ethicorum. Alteram actiuam, alteram contemplatiuam. Actiua quidem foelicitas, est operatio Animę secundum perfectissimam virtutem actiuam, summa cum iocunditate in vita perfecta. Contemplatiua vero, operatio Animę secundum perfectissimam virtutem contemplatiuam, summa cum iocunditate in vita perfecta. Cumque foelicitas duplex sit, Philosophia quoque necessario duplex erit, altera quę actiuam, altera quę contemplatiuam respicit foelicitatem. Cum enim Philosophia, vt ipse etiam testis Diuinus Plato homini cum Deo quantum

ORATIO

homo cōsequi potest, similitudo sit, Philosophum operam dare, vt Deo quoad potest simillimus euadat operepretium est: Dei autem actiones duplices sunt, vna notionis, qua puncta cognoscit, altera prouidentiaē, qua inferiora omnia regit atque gubernat. Duas igitur Philosophi quoque actiones esse oportet, contemplationem scilicet atque operationem. Nam contemplationis quidem auxilio omnia speculatur, atque considerat. Operationis vero, prouidet inferioraque disponit, atque moderatur. Et hoc quidem pacto Philosophus se Deo quoad potest, idest quantum fert hominis natura ac perfectio similem præbet. Iure ergo Philosophia in actiuam contemplatiuamque est distributa: Sed quoniam actio aut ad nos metipsos, moresque nostros est, aut ad alios: etsi ad alios, aut ad paucos familiaresque nostros, aut ad plures, qui etiam familiares nostri non sunt, idcirco actiua rursus in tres est partes diuisa, in moralem, domesticam, & ciuilem. Vnaquæque autem harum in duas diducitur partes. Quarum altera quidem leges affert: altera vero secundum ipsas iudicat. Ciuilis enim Philosophus &

ORATIO.

& leges præscribit, quibus ciues instituti recte viuant, & iudica t, ita vt delinquentes puniat, tueaturque bonos : nec non domesticus Philosophus leges seruis, filijsque suis imponit, quas si neglexerint de eis poenas summit . Si autem obseruauerint , ipsos amore profequitur, dignosque muneribus censet . Similiter moralis Philosophus sibi leges constituit, cum ait .

Κρατεῖν δ' εἰδίλω τῶν δε .
 γαστρός μὴ πρόψα, καὶ ὕπνου, λαγνέως τε,
 καὶ θυμοῦ . πρῆξεις δὲ ἐσχρόν ποτέ, μήτε μεττάλλου
 μὲντ' ἰδίη . πάντων δὲ μάλις ἐσχύνει σαυτὸν .

Præterea dijudicat se his verbis .

Μὴ δ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὅμασι προσδέξασθαι,
 πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρεῖς ἑκάστων ἐπιλθεῖν .
 πῆ παρεβῆν ; πῆ δ' ἔρεξα ; τί μοι δέον οὐκ ἐπέεθι ;
 ἀρεξάμενος δὲ ἅπῳ πρὸς τὸν, ἐπιξίθι καὶ μετέπειτα,
 δειλά μὲν ἐκ πρῆξας ἐπιπλήσσειο, χρεῖσά δὲ τέρεπον .

Rursus quoniam Philosophia à Platone eorum que sunt perceptio fuit diffinita, eorum autem quæ sunt, alia immerfa penitus in materia sunt, ita vt ab ea nec secundum esse, neque secundum rationem separari possint, quæ

ORATIO.

naturalia appellantur. Alia autem omninò à materia, & secundum esse, & secundum rationem formalem seiuncta sunt, quæ diuina esse dicuntur. Alia vero, quæ secundum rationem quidem separari, secundum vero esse haud separari à materia sensibili possunt, quæ Mathematica nuncupantur, hac de causa contemplatricem quoque Philosophiæ partem in Naturalem, Mathematicam, & Diuinam dissecari necessarium fuit. Et Naturalis quidem tot habet partes, quot naturalium rerum sunt gradus, ea ratione qua motum respiciunt. Alia enim eius pars principia rerum naturalium tradit. Alia res æternas, simplicesque considerat. Alia ortui interituique obnoxias. Alia mixta imperfecta. Alia mixta perfecta. Alia perfecta innimata. Alia perfecta animata. Alia animata insensibilia, atque immobilia motu progressiuo. Alia animata sensibilia, & mobilia secundum locum. Mathematica autem Philosophiæ contemplatiuæ pars varijs modis fuit diuisa. Pythagoreis enim vniuersam Mathematicam scientiam quadrifariam diuidere visum fuit. Hanc quidem eius partem circa quantitatem discretam; hanc vero circa con-

tinuam cōstituentibus. Harumquē quantitātū vtranque duplicem ponentibus. Discretam enim quantitatem vel per se subsistere dicunt, vel secundum habitudinem ad aliud considerari. Continuam vero, vel manentem, vel mobilem esse. Et hoc quidem pacto quatuor Mathematicæ scientiæ partes oriri, Arithmeti- cam nempe, Musicam, Geometriam, atque Astrologiam siue Astronomiam. Atq; Arithmeti- cam quidem per se quantitatem. Musi- cam vero, ad aliud relatam. Geometriam au- tem, immobile quantum. Astrologiamquē illud quod per se mouetur speculari. Geminus autem Philosophus quidem ac Mathema- ticus grauisimus bifariam totam Mathema- ticam ipsam partitus est. Et hanc quidem eius partem circa intelligibilia tantum, hanc vero circa sensibilia versantem, hæcquē amplecten- tem constituit. Intelligibilia utique ea appel- lans quorum intelligentiam ipse per se ani- mus absque vlla rerum sensibilibum participa- tione seipsum ad contemplationem excitans persequitur. Atque eius quidem, quæ circa in- telligibilia versatur duas primas principales- quē partes posuit, Arithmeti- cam atque Geo-

O R A T I O.

metriam. Eius vero quæ circa sensibilia operatur sex. Musicam, Astrologiam, perspectivam, Geodhesiam, Mechanicam, atque supputatricem. Hæc est Gemini diuisio. Quæ cum omnes Mathematicæ scientiæ claudat partes, perfectior illa phythagoreorum est. His autem totius Mathematicæ facultatis partibus existentibus. Geometria quidem implanorum rursus speculationem stereometriamque diuiditur. Nam circa puncta, & lineas nulla propriæ versatur facultas. Cum nulla figura punctis, aut lineis constet, quæ simul plana, aut solida non sit. Vbique enim Geometriæ opus est in planis, atque in solidis, vel componere, vel comparare, vel composita diuidere. Arithmetica autem similiter in linearium, Planorum, solidorumque numerorum speculationem diuiditur. Numeri enim species per se ab vnitatem prodeunt, Planorum quoque Generationes, similium quidem, atque dissimilium, ad tertiumque augmentum progressus speculatur. Geodhesia vero, supputatrixque harum instar non de intelligibilibus quidem numeris, figurisque, sed de sensibilibus verba faciunt. Non enim cylindrum, vel conum diui-

dere Geodhesiæ opus est, sed cumula tanquam conos, & puteos tanquam cylindros. Neque intelligibilibus lineis id assequitur, verum sensibilibus, exactioribus quidem, aptioribusque existentibus, vtputa spartis, ac perpendicularulo. Neque etiam supputatrix numerorum passiones per se considerat. Sed numeros rebus materialibus inuolutos. Vnde etiam à rebus mensuratis, his nomen imponit (*μελίας*) quasdam (*φιαλίτας*) appellans. Nullumque ponit minimum, quemadmodum Arithmetica. Rursus perspectiua, ac Musica, ab Arithmetica, Geometriaque originem duxere. Et perspectiua quidem lineas visuales angulosque ex his constructos considerat. Diuiditur autem in eam quæ proprio nomine perspectiua appellatur, quæ quidem falsarum apparentiarum ob visibilium distantias causam reddit: exempli causa, equi distantium concursus, vel quadratorum, veluti circulorum inspectionis. In speculariamque omnem, quæ in varijs refractionibus versatur, coniecturalique cognitioni connectitur. Necnon in eam quæ schiographia hoc est umbrarum designatrix nuncupatur. Quæ ostendit

O R A T I O

dit quonam pacto fieri possit, ut id quod conspicitur amœnum sit visu, atque iucundum, nec vlla in suis partibus discrepantia reperiat, quæ imaginem propter interuallum aut obiecti eleuationem corrumpat. Musica vero, concinentiarum rationes considerat regularum sectiones inueniens, ac sensu vbique vtens, vt quæ ait Plato auribus mentis. Post has autem sequitur ea, quæ Mechanica appellatur, eius quæ circa sensibilia versatur facultatis pars existens. Quæ quidem duas in partes diducitur. Altera pars est instrumentorum, altera miraculorum effectiua. Instrumentorum inquam quæ ad vsum totius rei bellicæ necessaria maximequæ idonea sunt. Quæ quidem Archimedes aduersus Syracusas bellum gerentibus oppugnantia fertur construxisse. Miraculorum autem effectiua, alia quidem spiritibus maximo cum artificio vtens operatur, ea quæ natura contingunt miraculosa his qui ignorant causas representans, vt asserit Aristoteles in quæstionibus mechanicis. Talia autem sunt, quæ Ctesibius, & Heron construxere. Alia autem ponderibus, quorum motus quidem inæquilibrium, quie-

tis vero æquilibrium esse causam censendum.
Quemadmodum Timæus etiam explicat. Alia
vero neruis spartisque animatas reuolutiones,
ac motus imitantibus. Sub Mechanicam de-
mum æquilibrantium quoque, atque eorum
quæ centroponderantia appellantur cognitio
comprehenditur. Spheræque constructio ad
cœlestium reuolutionum imitationem, qua-
lem Archimedes quoque composuit referen-
te Plutarcho. Atque in summa omnis quæ
materiam mouet. Reliqua autem Astrologia
est, de mundi motibus, de magnitudinibus,
atque figuris, de illuminationibus à terraque
distantijs corporum cœlestium, ac de omni-
bus quæ huiusmodi sunt differens. Magnam
quidem à sensu vtilitatem accipiens, maxime
vero cum naturali speculatione communicās.
Hæc enim ex omnibus Mathematicis scien-
tijs magis naturalis est, vt ait Philosophus se-
cundo Physicorum decimonono. Diuiditur
autem in tres partes in Gnomonicam scilicet
Metheoroscopicam, Atque Dioptricam.
Gnomonica quidem circa horarum dimensio-
nem gnomonum positione versatur. Metheo-
roscopica autem, eleuationum differentias, sy

O R A T I O

derumque distantias reperit, ac multa alia astrologica theoremata edocet. Dioptrica vero, Solis ac Lunæ, cæterorumque Planetarum distantias huiuscemodi instrumentis dioptricis inuestigat. Hæ quidem sunt omnes Mathematicæ disciplinæ. Quarum laudes si recensere vellem, diei spacium non satis esset. Verum enimvero harum scientiarum maximam nobilitatem, atque vtilitatem omnes vna omnium voce exclament Grammatici, Oratores, Historici, Poetæ, Medici, Dialectici, Philosophi, Theologi, ac denique omnes qui scientiam vel artem aliquam profitentur. Dicant mihi obsecro Grammatici, quorum munus est Poetas interpretari, quo nam modo Poetas ipsos interpretabuntur, qui summi fuere Mathematici, Virgilium, Ovidium, Lucanum, cæterosque alios sine Mathematica cognitione? Dicant Rhetores quo modo Ciceronis, eiusque interpretis Macrobij, Auli Gellij, Plinij scripta percipient, sine mathematicarum scientiarum perceptione? Dicant obsecro rerum gestarum Scriptores, Poetæque simul cum ipsis quonam pacto climatum situs, ciuitatum magnitudines, diametros,

tros, ambitus siue circuitus considerare, expli-
 careque potuissent, nisi Mathematicam caluif-
 sent? Dicant deinceps obsecro Medici quo-
 nam modo morbis medebuntur, ni prius mor-
 borum causas perceperint? Quomodo autē
 percipere eas poterunt absque Astronomia?
 Omnia enim inferiora à superioribus moder-
 rantur. Quomodo rursus salutiferas potiones
 egris parabunt, sine dierum criticorum obser-
 uatione? At quomodo dies critici observa-
 buntur, si Astronomia ipsa defuerit? Ommit-
 to auctoritates Hipocratis, Galeni ceterorum-
 que Medicorum, qui vbique asserunt Medici
 nam sine Astronomia constare non posse.
 Sed accedant Dialectici, & cum ipsis Philoso-
 phi, dicantque mihi obsecro quomodo intelli-
 gere immo ne suspicari quidē poterunt, quid
 sibi Aristoteles velit ijs libris, quos postero-
 res Analyticos inscripsit, quos de Physica au-
 scultatione, de Cœlo, de Meteoris, de Ani-
 ma, ac deniq; de ipsa diuina Philosophia, qui
 Mathematicis exemplis, ac demonstrationi-
 bus vbique sunt pleni, si deprehensi fuerint
 huiuscæ scientiæ expertes? Nam de Platone
 taceo qui iccirco paucos habet sui studiosos,

ORATIO. ○

quia nullos admittit nisi Poeticos, Mathematicas, Dialecticos Physicos, atque Divinos. Quomodo demum Philosophus ab ea essentia quæ materialis penitus est, ad eam quæ intelligentia tantum, & ratione comprehenditur, sine aliquo medio transire poterit, ne illi idem eueniat, quod accidit ei, qui ex domo maxime tenebrosa in splendidissimam exiens cæcus euadit, ni prius in ea moretur, in qua mediocre est lumen? Medium autem hoc, quiddiam aliud est nisi Mathematica essentia, quæ medium inter sensibilem intelligibilemque essentiam obtinet locum? Quod quidem sciens Plato, in fine tertij decimi de legibus, quem librum quidam Philosophum inscribunt epilogans disputata, & à plerisque confirmata Mathematicas scientias Philosophiam aggredientibus his verbis comendat.

” Discenti (vt docet) opus est omnem line-
 ” nearum descriptionem, constitutionemque
 ” numeri, & concentus rationem, ac denique
 ” vnam astrorum lationis proportionem mani-
 ” festam esse. Perspicietur autem recte quod di-
 ” cimus si quis ad vnum respiciens omnia discet.
 ” Videbitur quidem omnium horum vnum

esse vinculum. Siquis autem secus Philoso-
phiam aggressus fuerit, necesse est fortunam
adiutricem inuocet. Citra hæc .n. nunquam
illi patebit aditus. Cæterum hic est modus,
hac est eundem via. Non oportet autem hæ-
sce disciplinas siue faciles, siue difficiles sint
contemnere. Qui enim huiuscemodi omnia
didicit, quemadmodum ego assero, sapien-
tissimum appello, & ludens, & serio agens in
hac corroboror sententia. *omnesque quibus*

Hæc Plato in libro de Legibus. *Com-*
pertum enim est, quod hæ disciplinæ viden-
tur mentem nostram scallis, & gradibus qui-
busdam, à sensibilibus, & opinabilibus, ad in-
telligibilia, & scientifica traducere, & ab eis
quæ nobiscum dum eramus pueri corpori, &
materiæ immerfi, eidemque assueti nutrita
sunt, ad inconsueta à sensibusque remota, ani-
mis vero nostris tum affinitate, tum æternita-
te cognatiora, ab ipsisque multo ante intelle-
cta reuocare. Quapropter Socratis illud ve-
rissimum mihi videtur, quod ait in libro de
A republica. Oculum Animæ ab aliorum stu-
dijs obcæcatum, atque effosum ab his viuifica-
ri, & excitari, qui oculus sexcentis corporeis

O R A T I O

cc oculis accuratius est custodiendus . Hoc enim
 cc solo omniū veritas cernitur . Est igitur regiū
 cc quid in his scientijs, vnde & regiae à plerisque
 cc nuncupantur . Subducunt enim à terrenis, for
 cc didisq̄ue curis animum, totumq̄ue inadmira
 cc bili illo cœlestium orbium ordine, substantia
 cc rumq̄ue separatarum natura contemplanda
 cc detinent : qua quidem in re humana consistit
 cc fœlicitas, vt verissime illud dictum sit, quod
 cc ait Ouidius primo Fastorum .
 „ Felices Animę, quibus hæc cognoscere primū,
 „ Inq̄ domos superas scandere cura fuit.
 „ Credibile est illos parites viriisque, iocisque,
 „ Altius humanis exeruisse caput .
 „ Non venus, et vinum sublimia pectora fregit,
 „ Officiumque fori, militiaeq̄ue labor
 „ Nec leuis ambitio, perfusaq̄ue gloria furo,
 „ Magnarumq̄ue fames sollicitauit opum .
 „ Admouere oculis distantia sydera nostris,
 „ Aetheraq̄ue ingenio supposuere suo .
 „ Sic petitur cœlum, nō vt ferat ossam olympus,
 „ Summaq̄ue Peliacus sydera tãgat apex, &c.
 Quapropter dicat quæso Theologi, quas qui
 dem hisce aptiores disciplinas ad Dei optimi
 maximi virtutem, numen atque essentiam, o

innumque rerū, quæ fuerunt, quæ sunt, quæ
 quæ futura sunt, primam, solamque causam
 inuestigandam, contemplandam, adorandam-
 que desiderant. Astronomia enim ipsa, quæ
 Mathematicarum scientiarum ratione subie-
 cti sui nobilissima est animum nostrum à ter-
 renis separat, cœlestibusque ac supercœlesti-
 bus coniungit. Quorum natura nescio quid
 latentis habet energiæ, quæ mentes nostras,
 non secus ac magnes ferrum, in sui contempla-
 tionem rapere, atque erigere videtur: quod sa-
 nè immortalitatis, diuinitatisque Animorum
 nostrorum certissimum est argumētum. Ani-
 mus enim noster originis suæ principia recor-
 datus, ad ea quæ natura sibi coniuncta sunt ra-
 pi desiderat. Vnde diuinissime rem hanc Ovi-
 dium in 3. de arte amandi tetigit dicens.

„ Est Deus in nobis, sunt & commercia celi:

„ Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Idem videtur dixisse Propheta, cum ait.

Ego dixi Dii estis, filijque excelsi omnes. „

Quapropter hac sola scientia ad immortalitatē „

ipsam contemplandam via nobis à summo re-

rum opifice concessa fuit. Utque ait Diui-

nus Plato, solum Astronomiæ causa ocu-

O R A T I O

li nobis dati sunt. Quod etiam ingeniosissimus Poëtarum primo Methamor. innuere videtur sic canens.

„ Pronaq; cū spectent animalia cetera terrā,

„ Os homini sublime dedit, cęlūque vidēre

„ Iussit: & erectos ad sydera tollere vultus.

Idem Syluius Italicus hisce carminibus dixit.

„ Nonne vides hominum, vt cęllos ad syde-

ra vultus

„ Substulerit Deus, ac sublimia finxerit ora

„ Quam pecudes, volucrūque genus, for-

masue ferarum

„ Segnem, atque obscenam passim strauis-

set in aluum?

Quid ergo dignius hominis contemplatione

ipso cęlo? quę Theologis digniores erunt

disciplinę, aut magis necessariae his, quę in re-

bus cęlestibus perpetuo versantur? In quibus

clarius Dei æternitatē quam in his, quę æter-

na sunt interitūque minime obnoxia, con-

tēplabimur? a quo denique melius ipsius es-

sentiam, ac potestatem, quā ab innumerabiliū

stellarum immensa magnitudine, a tantaque

cęli vastitate extra, intraque cuncta comple-

ctente, colligemus? Nonne idem Diuus

Paulus asserere videtur, cū ait, tam prope ad-
esse Deum, vt manibus præhendi contracta-
rique possit? Quid enim aliud est manibus
præhendi contrectariq̄ue Deum, quam in cœ-
lo aspicientes Deum esse aliquem, qui illud re-
gat, atque moderetur statim fateri? Nonne ad
hoc ipsum Prophetam quoque spectasse cer-
nimus diuino furore canentem. . . . Coeli enar-
rant gloriam Dei, & opera manuum eius an-
nuntiat firmamentum. Dies diei eructat ver-
bum, & nox nocti indicat scientiam? Quod
videns itidem Plinius exclamauit. Estote ce-
li interpretes, rerumq̄ue naturæ captæ, argu-
menti repertores, quo Deos hominesq̄ue in-
xistis. Quis demū est qui nesciat ab hac astro-
rum scientia plures in Dei primum cogniti-
onem peruenisse? Nonne Magos ipsos sapien-
tissimos Caldeorum Sacerdotes Bethleem vs-
que transire ad Deum ipsum adorandum stel-
la ab oriente admonuit? Nonne Dionysius
ille Arcopagita cum naturæ portentum, ecli-
psim scilicet Solis in plenilunio animaduertis-
set, Christi Seruatoris nostri passionem præ-
dixit, in hunc penè modum profatus. Aut
Deus naturæ patitur, aut mundi machina dis-

O R A T I O.

soluetur : unde non immerito Astrorum
 scientiam Timæus Diuinam nuncupat. cum
 plurima ad diuinarum rerum contemplatio-
 nem emolumenta nobis afferat. Taceo quan-
 tum Astronomia ipsa, cæteraque Mathema-
 ticæ disciplinæ Agricolis, Gubernatoribus,
 Architectis, ac Imperatoribus vtilis sint, at-
 que vt Poëtarum omnium Latinorum facile
 Princeps primo Georgicorum dicat.
 Hinc tempestates dubio prædicere cælo
 Possumus, hinc messisque diem tempusq; ue-
 ferendi :
 Et quâdo infidum remis impellere marmor,
 Conueniat, quando armatas deducere classes:
 Aut tempestiuam Syluis euertere pinum.
 Neque enim Agricolæ semina iacerent, in-
 fererent, plantarent, nec gubernatores tuto na-
 uigarent, nec Architecti fabricarent, nec Im-
 peratores sceleriter prælium committerent ni-
 si Mathematicæ reperte fuissent. Siquidem
 ab his tanquam a fonte omnia hæc emanare
 videntur. Quod affirmans Aristoteles in li-
 bro de secretis secretorum, quem ad Alexan-
 drum scripsit, sic illum admonet. O rex ele-
 mentissime nec surgas, nec sedeas, nec cibum
 summas,

summas, aut potum, penitusque nihil (si fieri potest) sine periti Mathematici cōsilio facias. Verum quid multa referam: (longum .n. esset singula clarissimorum virorum testimonia recensere) hucusque Mathematicarum scientiarum nobilitatem atque vtilitatem perspicuam vobis studiosissimi adolescentes esse arbitror . Quapropter vos, omnesque Philosophiæ studiosos hasce disciplinas, quibus ego me plurimum debere nūquam inficiabor, omni studio prosequi vehemēter hortatos velim. Et hec de Mathematicis hactenus. Diuina vero Philosophia, quæ prima quidē dignitate, vltima vero ordine doctrine Philosophiæ contemplatiuæ pars est, bifariā diuiditur. Cuius altera quidem pars in eo quod est quatenus tale est communiter versatur, eiusque principia, partes, atque proprietates perscrutatur : atque hec est illa pars, quæ cæteris scientiis principia largitur, ad quā scientiæ omnes recurrunt, eiusque tutela principia sua defendunt. Quamobrem & qui in hæc eteto Socrates columbis quidem scientias diuinissime comparauit, ipsasque volare inquit, has quidem gregatim, has vero seorsum ab aliis . Reliqua autem, ea quæ non

O R A T I O

solum ratione, sed re ipsa quoque ab omni ma-
 teria seiuncta abstractaque sunt cōsiderat, sub-
 stantiaque separatas contemplatur. Hæc au-
 tem illa totius Philosophiæ pars est, quæ nos
 ad fœlicitatem nostrã, nostrumque finem per-
 ducit. Ac demum (vt ait Philosophus in fine
 decimi libri Moralium) Deo charissimos nos
 efficit, nostræque causę immediate coniungit,
 ex eoque fœlicissimos reddit. Quæ quidem
 cum ita sint studiosissimi adolescentes, Philo-
 sophia ipsa, quæ humanę fœlicitatis est causa à
 quouis amplectenda est, qui scire, fœlicitatem-
 que ipsam degustare desiderat. Verũtam n-
 quoniam hanc fœlicitatem (vt ostendit Ari-
 stoteles octauo Ethicorum) nemo solus ami-
 cisque carens recte consequi potest (nam ho-
 mo solus, aut Deus, aut bellua) propterea ali-
 quot iuuenes philosophandi gratia conueni-
 mus, vt alter alteri manum præbeat, omnes-
 que simul postremam illam fœlicitatem asse-
 qui possimus. Quapropter vos charissimi mei
 Comilitones, ac fratres iterum atque iterum
 hortor, vt quemadmodum sagittarius vnicum
 id quod attingere intendit respicit signum, ita
 nos omnes vnanimis vnum eundemque finẽ

ac scopum respiciamus. Omnibusque viribus ad perfectionem felicitatemque nostram properemus. Talis enim quisque est, qualem studia perficiunt. Relictis igitur ceteris voluptatibus ad solam Animi virtutem in hac nostra iuuenili ætate omni studio, ac diligentia tendamus. Nam quo virtus Animi pluris est, quam voluptates, & vitia corporis, eo maiori cura ab adolescentibus illa administranda quã hæc expetenda. Sicuti enim per serenum æstatis tempus ea comparantur, quæ sub pluuiosa, duisque hyeme necessaria videtur, ita & ab adolescentia boni mores, ac bonæ disciplinæ, quæ senectutem postea agant parari debent. Tanta enim virtutis vis est & gratia, vt lætos semper laudeque omni abunde cumulos possesores suos efficiat. Contendamus igitur summis viribus ad Animi virtutem, ipsamque amplectamur, vt & parentes nostros quibus plurimum debemus læticia afficiamus, & nobis sit consolatio maxima. Quæ enim maior in homine esse potest consolatio, quam adolescentiã suã optimis in sciētijis cōsumpsisse, in senectuteque illis scientijs pascere animū, & lucubrationū suarū dulcissimos fructus colligere?

D I X I.

ac scopum respiciamus. Omnia illudque videtur
 ad hoc. Non enim scilicet in hoc nostra pro-
 portio. Talis enim duplex est. Quasi in su-
 bis profertur. Et scilicet in corpore et in
 suis ad solam. A omni virtute in hoc nostra in
 nonnullis rebus oritur scilicet, ac diligenter conda-
 mus. Nam quo virtus. A omni plus est. Quam
 voluntas. Et virtus corporis, eo non est. Quam
 ab adolecentibus illa admodum illa que hoc
 expectanda. Sic enim cum per se ipsum scilicet
 tempus et comparatur. Quod illud. Quod du-
 rante hinc nostra. Et ad hoc. Et ad hoc
 loquuntur. Non enim. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 tenendum. Non enim. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 et enim. Virtus. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 per hanc. Quod oritur. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 fortiter. Et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 in virtute. Et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 pietatem. Et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 namque. Et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 si consideramus. Et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 homine. Et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 quod illa. Et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc.
 primum. Et hoc. Et hoc. Et hoc. Et hoc.

DIXI